

*Guglielmo Ruffo fa trascrivere
e autenticare la sua nomina
a capitano di Reggio*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Guglielmo Ruffo fa trascrivere
e autenticare la sua nomina
a capitano di Reggio*

1340-11-08

In nomine Domini amen. Anno incarnationis eiusdem millesimo trecentesimo quadragesimo, die octavo mensis novembris, nonae indictionis, apud Sinopolum. Regnante serenissimo domino nostro rege Roberto, Dei gratia inclito Hierusalem et Sicilie rege, Ducatus Apulie et Principatus Capue, Provincie et Forcalquerii, ac Pedemontis comite, regnorum suorum anno trigesimo secundo, feliciter amen.

Nos Basilius de Dracone, baiulus terre Sinopolis, Franciscus Zarbus, iudex terre Sinopolis, Marchisius de Thetis, totius Ducatus Calabrie regia auctoritate publicus notarius, et testes subscripti, ad hoc vocati specialiter et rogati, presenti scripto publico notum facimus et testamur quod, accedens ad praesentiam nostram Lancea de notario Peregrino, vicarius terre Sinopolis, nomine et pro parte, ut dixit, magnifici domini Guglielmi Ruffi de Calabria, comitis Sinopolis, ostendit nobis et publice legi fecit quasdam patentes et regias litteras magno regio sigillo pendenti de cera rubea sigillatas, quas vidimus, legimus et inspeximus diligenter. Petens a nobis, qui supra, baiulo, iudice et notario publico, nostrum super hoc officium implorando, ut praedictas regias litteras nostra iudiciali auctoritate interposita in publicam formam redigere deberemus, pro eo quod ipsae littere originales non possunt mitti — ut dixit — ad curiam, ubi ipsum comitem ipsis uti oportet, propter viarum pericula et latronum incursiones, ex quibus predictae littere originales de facili perire possent. Cuius Lancee petitionibus iustis, utpote annuentes, maxime quia iusta petentibus non est denegandus assensus, predictas originales litteras in presentem publicam formam de verbo ad verbum, nihil in eis addito, mutato

vel diminuto, redigi fecimus et transcribi. Cuius quidem littere tenor per omnia talis est.

In cuius rei testium futuram memoriam et omnium quorum interest et interesse poterit certitudinem et cautelam, rogatu predictae Lancee, actum est exinde presens publicum transumptum, scriptum per manus mei prefati notarii publici, nostrum, qui supra baiuli, iudicis, notarii et testium subscriptorum signis et subscriptionibus roboratum, per scriptum anno, die, mense, loco et indictione premissis. † Ego Basilius de Dracone, qui supra, baiulus terre Sinopolis, testor. † Ego Franciscus Zarbus, qui supra, iudex terre Sinopolis, testor. † Ego Basilius de fabro, testor. † Ego Petrus de Guizzaramo, testor. † Ego Gulielmus de notario Iacobo, testor. † Ego Marchisius de Thetis, qui supra, totius Ducatus Calabrie regia auctoritate publicus notarius, predicta scripsi et me subscripsi